



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. In quo consistat ratio formalis quantitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

CONCLUSIO I.

Descriptio
Quantita-
tis.

2. Bene describitur Quantum à Philosopho 5. Met. cap. 7. esse id quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque, vel unum quodque unum quid, & hoc aliquid apertum est esse. Hæc est communis omnium Peripateticorum, qui vel ipsa Philosophi auctoritate ad concorditer eam tenendam adduci potuerunt. Probatum autem, quia omni & soli Quanto competit, declaratque naturam eius absque defectu, vel superfluitate, quatenus distinguitur ab omni alio, quod non est quantum, ut ex applicatione singularium partium constabit, & ex dicendis in tota hac quaestione. Vt autem distinctius naturæ Quantitatis applicetur, antequam explicetur definitio, quæ à Philosopho applicata est quantitati in concreto applicabimus eam quantitati in abstracto, quæ iuxta illam descriptionem describi potest esse *Accidens per se diuisibile in ea quæ insunt, quorum utrumque vel unumquodque unum quid & hoc aliquid apertum est esse.*

Dicitur esse *Accidens*, quia accidens est genus vel quasi genus, in quo conuenit quantitas cum accidentibus cæterorum prædicamentorum, siue vniuerso, siue analogice, parum refert ad propositum. Dicitur: *diuisibile*, ut distingatur ab accidentibus indiuisibilibus. Dicitur: *in ea quæ insunt*, id est in partes ex quibus actualiter componitur, ut distingatur ab accidentibus vniuersalibus, quæ sunt diuisibilia in partes subiectiuas, seu in inferiora sua, vt albedo est diuisibilis in hanc & illam albedinem, quæ insunt ipsi non actu, sed potentia. Dicitur: *quorum utrumque*, id est quarum partium actu ipsi inexistendum vtrique, si duæ sint, *vel unumquodque*, id est vnaquæque pars si plures partes sint in ipso, *est unum quid*, id est quid completum, & *hoc aliquid*, id est aliquid singulare existens extra alteram partem: & per hoc distinguitur à toto essentiali tam metaphysico, quam physico, quia partes, in quas diuidi potest totum metaphysicum, sunt intra se inuicem per realem identitatem, cum solum formaliter distinguantur, & ex partibus physicis essentialibus, in quas totum physicum diuidi potest, vna nempe forma subiectatur in altera, nempe materia. & non extra illam. Distinguitur etiam per hoc à substantiis mixtis, quamuis componerentur formaliter illa ex quatuor elementis, & quamuis hæc quatuor elementa, ipsi formaliter inexistèrent: nam licet ex hac hypothese mixtum esset diuisibile in elementa tanquam in partes formaliter & actualiter ipsum componentes, & licet quilibet ex his partibus esset ens completum: tamen vna pars ex ipsis non est extra aliam in mixto, sed in qualibet parte signabili mixti omnia quatuor elementa reperiuntur. Quod si elementa non insint formaliter in mixto, sed tantum virtualiter, tum quantitas distinguitur à mixtis ut mixta sunt diuisibilia in elementa, per hoc, quod sit diuisibile in ea, quæ insunt actu & formaliter in ipso: nam sic non insunt elementa mixto iuxta hanc sententiam, quæ longe communior est apud Peripateticos. Sed & etiam distinguitur à mixtis quomodocumque insunt ipsis elementa, per hoc quod quantitas sit accidens, mixta vero composita ex elementis non sint accidentia, sed substantia.

3. Contra descriptionem hanc quantitatis statim occurrit difficultas; quod tota illa videatur conuenire alicui qualitati, verbi gratia calori: nam calor est diuisibilis in ea quæ insunt, quorum unumquodque est unum quid, & hoc aliquid. Certum est enim quod calor sit diuisibilis in partes integrales caloris, quæ sunt extra se inuicem, & quarum vnaquæque pars est ens completum, & per se potens existere tam bene quam possint partes quantitatis.

Sed respondetur facile, diuisibilitatem, quæ ponitur in descriptione quantitatis, esse diuisibilitatem per se, & in ordine ad causas naturaliter agentes præsertim corporeas, ita ut quantitas sit illud accidens quod potest per se ratione sui diuidi in partes sibi inexistentes, & ratione cuius cætera quæ sunt naturaliter diuisibilia & separabilia, possunt sic diuidi. Hæc autem diuisibilitas non competit calori nec ulli qualitati; quamuis enim naturaliter possint diuidi separarique partes caloris, tamen non possent sic

diuidi, nisi essent quantæ aut per receptionem quantitatis in se, aut per inhesionem in quantitate aut quanto: nam si poneretur calor absque quantitate, esset penetrabilis cum quocumque corpore, & consequenter non possent naturaliter partes eius separari ab inuicem per interpositionem ullius corporis, & idem est dicendum de substantia. Quantitas autem, si per se poneretur absque substantia, cui inhaeret, posset naturaliter diuidi per interpositionem corporis, ut patet in mysterio Eucharistiæ. Et similiter posset diuidi, si poneretur absque vlla qualitate, cum certum sit qualitates non conducere vlla ratione ad hoc ut quantitas diuidi possit, aut partes eius separari. Vnde patet quantitatem ita esse per se diuisibilem, ut cætera, quæ diuisibilia sunt, non habeant diuidi posse naturaliter nisi à quantitate.

4. Dices: si substantiæ haberent posse diuidi à quantitate, quælibet substantia quanta posset naturaliter diuidi: sed hoc est falsum, quia substantia cæli non habet sic posse diuidi, cum sit incompressibilis.

Respondeo, quidquid sit an cælum sit quantum quantitate proprie dicta & prædicamentali, de quo suo loco, negando sequemur: quia non omnis substantia quantitate affecta, deberet posse diuidi, nisi habeat conditiones requisitas ad hoc ut mediante quantitate diuidi possit: & hinc si poneretur quantitas in Angelo, non posset tamen nec Angelus, nec quantitas eius diuidi naturaliter vt existens in Angelo, quia deest Angelo pluralitas partium entitiarum, in quas diuidi posset. Vnde si desit cælo diuisibilitas fundamentalis in ordine ad potentiam naturalem, quamuis habeat quantitatem, non poterit naturaliter diuidi, nec etiam quantitas in ipso subiectata, quia hæc nequit diuidi quin subiectum ipsius diuidatur, alias posset naturaliter poni extra subiectum: neque hinc sequitur quod quantitas cæli non sit per se diuisibilis, nam ex se quidem & ex sua ratione formali est diuisibilis, cum sit eisdem rationis, ut supponitur, cum aliis quantitatibus; sed per accidens, ratione scilicet subiecti sit, ut non sit proxime diuisibilis. Itaque dicitur per se diuisibilis, quia quantum est ex parte sua, nisi poneretur impedimentum extrinsecum, posset diuidi; non autem dicitur ita esse ex se diuisibilis, quasi non posset ab extrinseco fieri ut non posset proxime diuidi. Quæ doctrina confirmari potest ex eo, quod quamuis omnia corpora naturalia sint diuisibilia, & habeant quantitatem eiusdem rationis, tamen propter diuersitatem suam specificam quædam ex ipsis sunt facilius diuisibilia quam alia; quod nemo dixerit procedere à quantitate: ergo posset esse talis conditio alicuius corporis, ut, quamuis esset quantum, nullo modo posset diuidi naturaliter.

QVÆSTIO II.

In quo consistat ratio formalis quantitatis.

5. Quamuis ex descriptione præmissa quantitatis videri posset significata ratio formalis ipsius, tamen non ita est nam descripsimus ipsam, ut diuisibilis est, & hoc non obstante posset fieri, quod diuisibilitas illa non esset ratio formalis ipsius, sed proprietates. Itaque hoc examinamus hic, & præterea adiungemus alia, quæ ad plenioram Quantitatis cognitionem conducere poterunt.

Prima sententia docet rationem formalem quantitatis consistere in ratione mensuræ. Hæc tribuitur Alberto Magno tract. 8. cap. 1. & S. Thomæ opus. 5. 2.

Vt autem intelligatur hæc sententia, & eo melius, vel admittatur, vel rejiciatur, Aduertendum est mensuram esse id, quo quantitas rei cognoscitur, vnde quia per applicationem vnius verbi gratia cognoscimus quantum sit aliquis pannus, aut aliquod lignum, propterea vna vocatur mensura panni: & quia per applicationem tanti, vel tanti ponderis cognoscimus quanta sit grauitas auri, vel argenti, propterea tale pondus, verbi gratia libra potest dici mensura auri, & argenti: & quia propter maiorem, vel minorem distantiam substantiarum corporearum ab homine potest colligi quod sit maioris, vel minoris perfectionis in se, propterea homo potest vocari mensura perfectionis substantiarum omnium corporearum, & in hoc sensu dicitur communiter

Quid est
quantita-
tem esse
mensuram.

R. 2. quod

quod in vnoquoque genere sit aliquod vnum, quod sit ceterorum; quæ in illo genere ponuntur, mensura & metrum. Quando igitur dicitur quod quantitatis ratio formalis consistat in ratione mensuræ, non debet hoc intelligi de quacumque mensura, sed de ea, per quam cognoscimus quanta sit extensio rerum extensarum, non de ea per quam cognoscimus quanta sit grauitas, aut perfectio virtutis rerum.

Mensura
capitur
actiue, &
passiue.

6. *Rursus aduertendum*, quod esse mensuram potest capi, vel actiue vel passiue; passiue capitur quando capitur pro illa ratione, secundum quam rei extensio potest mensurari, seu cognosci per applicationem alterius rei: actiue vero capitur, quando capitur pro illa ratione, secundum quam potest aliquid mensurare extensionem alterius rei, seu deducere in cognitionem eius. Quando ergo dicitur quod ratio quantitatis consistat in ratione mensuræ, aliqui id intelligunt de ratione mensuræ actiue; aliqui de ratione mensuræ passiue: & sane mihi videtur quod vtraque ratio sit æqualiter de essentia quantitatis, aut proprietate eius, quacumque enim quantitas habet vnā rationem, habet etiam & alterā, nec video quānam ex illis primo debeat potius ipsi competere, nisi quis velit prerogatiuam dare actiuitati.

Tribus modis potest aliquid esse mensura.

Aduertendum denique, esse mensuram tam actiue quam passiue, posse intelligi vel actualiter, vel aptitudinaliter, vel radicaliter: Esse mensuram actualiter est quod actu mensurat, vel mensuratur actu: esse mensuram aptitudinaliter actiue, vel passiue, est id quod aptum natum est mensurare, vel mensurari; denique esse mensuram radicaliter actiue, vel passiue est habere radicem, ad quam sequitur prædicta aptitudo ad mensurandum.

Quantitas diuisibilis competit quantitati.

7. *Secunda sententia* est rationem formalem quantitatis consistere in diuisibilitate. Hæc tribuitur D. Thom. 1. d. 19. qu. 1. ar. 2. *Scoto hic quæst. 17.* Eam tenent expresse *Soncinus 5. Metaph. qu. 21. Iauellus quæst. 20. Flandria quæst. 14. Capreolus in 1. dist. 3. quæst. 1. ar. 3.* Hæc etiam sententia potest intelligi de diuisibilitate, vel actiua, secundum quam scilicet aliqua res potest actu diuidere partes sui subiecti, seu rerum in se subiectarum, vel passiuā, secundum quam res potest diuidi: & quidem ex duabus acceptionibus diuisibilitatis prima est satis impropria, & minus propterea vsitata. Potest etiam intelligi de diuisibilitate radicali consistente in radice, ad quam sequitur diuisibilitas formalis, quæ est aptitudo, quam habet res ad hoc, vt possit diuidi, vel de ipsa diuisibilitate formali.

8. *Tertia sententia* est quod consistat ratio formalis quantitatis in extensione partium, seu in hoc quod est habere partes extra partes. Hæc est communior sententia tam Thomistarum cum S. Thoma 1. par. quæst. 14. ar. 1. quos citant, & sequuntur *Complutenses*, quam *Scotistarum* cum *Scoto* in 4. dist. 10. quæst. 1. ac etiam recentiorum, vt *Suaris disp. 40. Metaphys. sect. 4. Hutardi disp. 13. sect. 4.* Non tamen conveniunt omnes hi authores in modo illam explicandi, sed conueniunt in hoc communiter contra aliquos Nominales, quod illa extensio, in qua consistit essentia quantitatis, non sit extensio actualis, secundum quam partes quantitatis sunt actu extra se inuicem taliter, vt si quantitas illa poneretur in loco, vna pars ipsius correspondeat vni parti loci, & altera alteri, sicut manus mea de facto correspondet alij parti huius loci, in quo sum, & caput alteri. Cuius ratio est primò, quia de facto quantitas Christi reperitur cum substantia ipsius sub speciebus Eucharisticis, (non quidem ex eo, quod alias ipsius substantia non esset corpus sine quantitate, esset enim sine dubio corpus de prædicamento substantiæ, quamuis quantitatem nullo modo haberet, nec posset habere; neque enim per se dependet corpus quod est de illo prædicamento, à quantitate tanquam à conditione essentialiter requisita, sed quia non est dicendum quod substantia Christi sit sub illis speciebus sine qualitatibus corporeis, aut quantitate, quæ est subiectum earum.) *Secundò*, quia nulla est ratio, cur Deus non posset omnes partes quantitatis taliter collocare in se, vt non essent extra se inuicem, sed simul penetratiue, sicut duo corpora quanta possunt simul esse penetratiue in eodem loco.

Quamuis autem in hoc conueniant, adhuc tamē habent magnam dissensionem: nam *aliqui dicunt* essentiam quantitatis consistere in extensione partium in ordine ad se; alij dicunt quod consistat in extensione partium in ordine ad locum. Quod vt intelligatur aduertendum, quod habere partes extensas in ordine ad se, est habere partes cum aliquo speciali ordine inter se vnitas, vt sit sint omnes penetratiue in eodem loco, siue non sint, vna ex illis vnatur immediate alteri alicui determinatæ parti, & alia alteri, nulla vero omnibus, vt verbi gratia caput collo, collum humeris, humeri manibus, &c. huiusmodi extensionem partium habet corpus Christi Domini sub speciebus Eucharisticis: quamuis enim omnes partes istius corporis sint simul sub qualibet particula hostiæ, tamen caput non vnatur physice immediate pedi, nec manus oculis, sed eodem modo sibi sic immediate vnuntur, quo vnuntur in celo, vbi sunt partes de inuicem quoad locum. Extensio vero in ordine ad locum, loquendo de extensione aptitudinali, consistit in aptitudine illa, quam habet res ad occupandum tantum vel tantum locum, ita vt vni parti loci correspondeat vna pars rei extensæ, & altera alteri. Per quod patet differentia prædictorum modorum dicendi.

Quid est habere partes extensas in ordine ad se?

Quid habere partes extensas in ordine ad locum.

9. *Alij vero dicunt* ita extensionē partium esse de essentia quantitatis, vt nulla alia res habeat, aut possit habere extensionem partium, nisi ratione quantitatis, vnde consequenter dicunt quantitatem dare extensionem partium integram substantiæ corporeæ, in qua subiectatur, & accidentibus corporeis, quæ subiectantur in illo, vt albedini nigredini, colori, &c. & in hoc communiter conueniunt Thomistæ, sed cum discrimine aliquo: nam aliqui ex illis, vt *Ioannes à S. Thoma* hic admittit substantiam habere ex se formaliter plures partes integrales substantiales entitatiue distinctas independentes à quantitate. Alij autem, vt *Complutenses* hic negant vllam rem præter quantitatem habere vllas partes integrales etiam entitatiue, & substantialiter distinctas. Ex his vero duabus vltimis sententiis prima sine dubio est longe probabilior, vt patebit ex dicendis.

Alij denique dicunt, essentiam quantitatis non consistere in quacumque extensione partium siue in ordine ad se, siue in ordine ad locum, sed in extensione partium tali, ad quam sequitur pro proprietate diuisibilitatis naturalis modo explicato quæstione præcedenti, seu impenetrabilitas naturalis, ita vt quidquid habet partes extensas vt sic, diuisibiles, seu impenetrabiles, sit quantitas, vel quantitate affectum. Hæc est Scotistarum & recentiorum communiter.

CONCLUSIO I.

10. *Ratio formalis quantitatis non consistit in hoc, quod sit mensura actualis, aut aptitudinalis, aut etiam radicalis, siue loquamur de mensura actiua, siue de passiuā.* Hæc est communissima quantum ad duas primas partes de mensura actuali & aptitudinali contra primam sententiam.

Ratio formalis quantitatis non est esse mensura actualis aut aptitudinalis.

*Probat*ur autem quantum ad mensuram actuale, quia per accidens est, quod quantitas actu mensuret aut mensuretur: ergo ratio actualis mensuræ siue passiue, siue actiue non potest esse de eius essentia.

*Probat*ur etiam quoad mensuram aptitudinalem, tum quia illa aptitudo, cum sit respectus aptitudinalis, ad summum potest esse tantum proprietate quantitatis: tum quia præsupponit quantitatem habere plures partes extensas: ergo non potest esse de essentia quantitatis: nihil enim potest esse de essentia rei, quod præsupponit aliud aliquid competere tali rei, vt est euident, quia aliàs res esset antequam eius essentia esset.

*Probat*ur denique quoad tertiam partem, quæ videtur esse contra *Complutenses*, qui admittunt radicem, ad quam sequitur ratio mensuræ, esse de essentia quantitatis: probatur inquam quoad hanc partem, quia ipsa substantia posset independentes à quantitate mensurare actualiter aliam substantiam & quantitatem etiam, & posset mensurari per aliam substantiam & quantitatem, habet quæ ad hoc

hoc aptitudinem & radicem, ad quam sequitur talis aptitudo, tam bene quam quantitas: ergo ratio formalis & essentialis propria quantitatibus non est esse mensuram radicaliter. Consequentia est evidens, quia ratio essentialis propria vnius rei nequit competere alteri rei essentialiter distinctæ. Probatur antecedens, quia substantia ex se habet partes extensas in ordine ad locum, ut postea dicemus, & Angelus posset applicare substantiam habentem viginti palmos, verbi gratia longitudinis ad alias substantias corporeas, & ad quantitates, & per talem applicationem cognoscere in illa substantia vel quantitas haberet tot palmos, vel plures, vel pauciores, & similiter per applicationem quantitatibus palmarum ad illam substantiam, destructa eius quantitate posset cognoscere quot palmos extensionis haberet: ergo illa substantia habet aptitudinem formalem & radicalem ad mensurandum.

11. *Confirmatur*: ideo quantitas habet aptitudinem formalem & radicalem mensurandi, quia per applicationem eius ad alias res potest cognosci quanta sit extensio earum: ergo si potest per applicationem substantia hominis, separata quantitate, cognosci extensio alterius substantiæ aut quantitatibus, habebit aptitudinem formalem & radicalem ad mensurandum, quod sane mihi certum est ex suppositione, quod substantia habeat partes independentes a quantitate.

Verum quidem est, quod in ordine ad nos pro hoc statu non possemus per substantiam, extensam entitatiue separata quantitate, mensurare extensionem vllius rei, quia non possemus ipsam applicare localiter, propter defectum quantitatibus: vnde in hoc sensu posset dici, quod radicalis mensuratio seu mensuratiuitas sit de essentia quantitatibus, capiendò talem radicem pro illa ad quam sequitur aptitudo ad hoc, ut res possit assumi a nobis pro hoc statu ad mensurandas extensiones rerum: nec hoc negamus in conclusione. Sed nec in hoc etiam sensu radix, seu aptitudo ad mensurandum ita est de essentia quantitatibus, ut non possit natura eius concipi & declarari, quatenus distinguitur ab alijs rebus absque eo quod concipiatur sub tali ratione mensuræ, aut aptitudinalis, aut radicalis, ut patebit ex dicendis.

12. *Fundamentum aduersariorum* citatorum pro prima sententia consistit in aliquibus locis Philosophi in quibus dicit quantitatibus esse mensuram, & colligit, ex eo, quod aliquid sit mensura, illud esse quantitatibus.

Sed facile respondetur, licet quantitas sit mensura, non propterea rationem mensuræ esse ipsi propriam aut essentialem. Deinde, quamvis colligeretur, ex eo, quod aliquid sit mensurabile, aut mensuratum, illud esse quantitatibus, aut quantitate affectum, hoc tamen non arguit mensurabilitatem esse de essentia eius, quia bene posset colligi aliquid esse quantum ex eo, quod haberet proprietatem quantitatibus, sicut ex eo quod aliquid sit risibile, colligitur a posteriori quod sit rationale. Sed nec ex eo, quod aliquid sit mensurabile, aut mensuratum quomodo-cumque, potest colligi etiam a posteriori, quod sit quantum, aut quantitas, nec ex eo id colligit Philosophus, sed ex eo quod sit mensurabile, aut mensuratum in ordine ad nos, ut supra dixi.

CONCLUSIO II.

13. *Esse diuisibile in partes integrantes non est ratio formalis quantitatibus, ne quidem proprietas eius quarto modo: esse tamen ex se diuisibile naturaliter in partes integrantes per interpositionem corporis est proprietas eius, & radix, ad quam sequitur talis diuisibilitas, est de essentia eius.* Hæc est authorum omnium tertia sententia, & videtur esse contra secundam sententiam.

Probatur autem prima & secunda pars, nimirum quod diuisibilitas in partes integrantes non sit ratio formalis propria quantitatibus, ut distinguitur ab alijs rebus, nec proprietas eius quarto modo, quia etiam substantia est diuisibilis in tales partes, etiam separata quantitate; neque enim potest dubitari quin substantia capitis hominis, separata quantitate, possit diuidi & conservari diuisa à sub-

stantia manus, & hæc à substantia pedis: ergo totus homo posset diuidi in partes integrantes, separata quantitate, & idem est de tota substantia aquæ, & quacumque altera substantia corporea, ac etiam de albedine, ac quacumque qualitate includente plures partes realiter distinctas, & fortassis non solum à Deo possunt huiusmodi res diuidi in partes integrantes, quod tamen sufficeret nobis, sed etiam ab Angelis: ergo esse diuisibile in partes integrantes non est, nec propria ratio formalis quantitatibus, nec proprietas eius quarto modo.

Probatur secunda pars, quia nihil potest sic diuidi ex se, nisi, vel quantitas, vel quod recipitur in quantitate, aut re quanta, vel quod recipit quantitatibus, at ipsa quantitas est naturaliter sic diuisibilis, ut patet ex dictis quæst. præcedenti: ergo talis diuisibilitas est proprietas eius quarto modo, & consequenter radix ad quam sequitur talis diuisibilitas, est de essentia eius, & propria ratio essentialis ipsius. Dico autem quod talis diuisibilitas sit proprietas, & de essentia eius, tum quia formaliter loquendo est respectus, & respectus nequit esse de essentia entis absolute, qualis est quantitas; tum quia præsupponit extensionem, seu pluralitatem partium, quæ extensio est soli quantitati competens, prædicatum autem essentialis nihil potest in se præsupponere, de cuius est essentia.

14. *Obiicitur*: Quantitas definitur per diuisibilitatem: ergo diuisibilitas est de essentia eius. *Confirmatur*, quia Scotus in prædicamentis quæst. 17. videtur dicere, quod diuisibilitas sit ratio formalis quantitatibus.

Respondetur distinguendo antecedens: per diuisibilitatem qualemcumque, nego antecedens, per diuisibilitatem radicalem, hoc est, radicem ad quam sequitur aptitudo ad diuidendum per interpositionem, aut applicationem corporis, concedo antecedens; & similiter distinguo consequens: ergo diuisibilitas talis radicalis est de eius essentia, concedo; diuisibilitas alia, nego consequentiam. Quod si per diuisibilitatem positam in definitione quantitatibus intelligatur diuisibilitas formalis, negandum est illam definitionem esse proprie dictam, sed potius dicendum quod sit definitio impropria, coincidens cum descriptione, nec hoc est vllò modo inconueniens.

Ad confirmationem dico Scotum intelligendum similiter de diuisibilitate radicali, ut colligitur ex eo quod ipsemet expresse dicat 5. Metaphysicæ quæst. 9. diuisibilitatem esse proprietatem quantitatibus. Concedo tamen, inquit quod diuisibilitas sit prima passio quanti, & non de essentia eius. Et paulo post: Vnde quantitas notificatur per eam, scilicet per diuisibilitatem, tanquam per proximam passionem eius & non definitur.

CONCLUSIO III.

15. *Extendere partes substantiæ sine actualiter, siue aptitudinaliter non est de ratione formali quantitatibus.* Hæc est communis, & patet quantum ad extensionem actuale, quia potest quantitas esse absque substantia, ut patet ex mysterio Eucharistiæ, & consequenter absque extensione actuali eius. Patet etiam quoad extensionem aptitudinalem, quia illa aptitudo formalis ad extendendas partes substantiæ est respectus, & præsupponit extensionem partium ipsiusmet quantitatibus: ergo non est de essentia quantitatibus, sed ad summum proprietatis eius. Quod si quis velit radicem, ad quam sequitur aptitudo illa ad extendendas partes substantiæ, esse de essentia quantitatibus, verum quidem dicitur ex suppositione quod talis aptitudo competat quantitati, tanquam proprietatis quarto modo, quia radix omnis proprietatis quarto modo est de essentia rei, cui competit illa proprietas. Sed reuera non videtur, quod aptitudo ad extendendas partes substantiæ conueniat quantitati, quia substantia, in qua subiectatur quantitas, habet partes suas extensas ex se antedecenter ad quantitatibus. Verum tamen est, quod quantitas faciat partes substantiæ ita esse extra se iunctas, ut naturaliter non possint penetratiue poni in eodem loco, & quod aptitudo ad hoc faciendum sit proprietatis eius quarto modo: vnde si hoc

Diuisibilitas naturalis per interpositionem corporis est proprietas quantitatibus.

Extendere partes substantiæ non est de essentia quantitatibus.

Quomodo
extendere
partes sub-
stantie
posse esse
proprie-
tas, aut
predica-
tum essen-
tiale sub-
stantie.

Sententia
Aueris
reiuicetur.

intelligatur per extendere partes substantie, concedendum erit quod quantitas habeat pro proprietate quarto modo aptitudinem ad extendendas partes substantie, & quod radix, ad quam sequitur talis aptitudo, sit de essentia eius.

Et per hoc patet, sententiam Aueris qn. 2.2. de Quantitate sect. 2. non esse veram, dum dicit essentiam eius consistere in hoc, quod sit illud quod exigit naturaliter extensionem illam partium extra se inuicem, quæ connaturaliter exigit respectus diuersos ad locum, secundum quos vna pars correspondet vni parti, & altera alteri parti loci, nam ipsamet substantia materialis habet huiusmodi extensionem partium, & qualitates etiam, maxime in sententia Aueris, qui dicit eas subiectari in ipsamet substantia immediate: nam certe si separaretur quantitas hominis, partes ipsius hoc non obstante exigerent connaturaliter esse extra se inuicem, ut dicemus conclusionem sequenti fusius, nec est vlla ratio cur confluere deberent in tali casu ad punctum vllum, aut cur Deus deberet determinare ad quod punctum confluere. Nec etiam verum est, quod propterea aliquid est impenetrabile, quia habet partes extra partes in loco, ut dicit Aueris, quia corpus gloriosum habet partes extra partes, & tamen est penetrabile; nec ideo solum substantie immateriales sunt penetrabiles, quia non habent partes extra partes, sed quia non habent tales partes extra partes: quod totum ex dicendis melius patebit.

CONCLUSIO IV.

16. Habere partes extra partes siue in ordine ad se, siue in ordine ad locum aut spatium, non est propria ratio formalis quantitatis, secundum quod distinguitur ab alijs rebus, siue id intelligatur actualiter, siue apudindinaliter, siue radicaliter. Hæc est Scotistarum cum Scoto 2. dist. 12. quest. 2. & recentiorum communiter contra Complutenses & plures Thomistas ab ipsis citatos.

Probat autem manifeste, quia ipsa substantia, in qua subiectatur quantitas immediate, siue illa substantia sit materia prima, siue totum compositum ex materia prima & forma substantiali, habet partes extra partes, tam in ordine ad se, quam in ordine ad locum; actualiter quidem semper, naturaliter loquendo, & apudindinaliter ac naturaliter ita necessario, ut exigit connaturaliter ex natura sua habere talem extensionem actualem partium in ordine ad se & locum sic, ut miraculum sit si eam non habeat: ergo talis extensio partium non est propria ratio essentialis quantitatis secundum quod distinguitur ab omnibus alijs rebus. Consequentia est euidens.

Probat antecedens primo, quia substantia hominis v.g. ex se includit partem substantialem manus & partem substantialem pedis, & illæ duæ partes sunt extra se inuicem semper, nisi fiat miraculum; & substantia hominis exigit connaturaliter quod sint extra se inuicem tam bene, quam tota quantitas exigit connaturaliter habere partes extra se inuicem; cum hoc solum discrimine, quod partes quantitatis non possint naturaliter esse simul, partes vero substantie absque quantitate, fortassis opera Angeli possint esse simul: quod discrimen non facit ad rem.

Confirmatur, quia substantia hominis connaturaliter loquendo exigit manum non esse immediate vnitam pedi, nec oculum auri: ergo exigit habere partes extra partes in ordine ad se. Rursus, eo ipso quo exigit manum non esse vnitam pedi immediate, exigit etiam connaturaliter, quod, si ponatur in loco, manus ponatur correspondens vni parti loci, & pes alteri, nam si non exigeret hoc, frustra exigeret manum non esse vnitam immediate pedi: ergo exigit connaturaliter partes suas integrales esse extra se inuicem in ordine ad locum.

17. Dices: substantiam corpoream, quæ est subiectum immediatum quantitatis, exigere quidem ut partes sue sint extra se inuicem in ordine ad se & locum, non tamen immediate & ex se, sed quatenus exigit quantitatem, à qua formaliter constituitur vna pars ipsius extra aliam partem tam in ordine ad se, quam in ordine ad locum.

Contra, quia prius competit substantie illi habere par-

tes substantiales extra partes, vnitas tali vel tali modo, quam exigit habere quantitatem, & ideo exigit habere quantitatem, quia habet huiusmodi partes. Quod patet primo, quia in conceptu substantie corporeæ completa, ut sic, ut distinguitur à spirituali, inuoluitur pluralitas partium substantialium integralium, & in hoc probabiliter & communiter distinguitur à spirituali substantia, quæ indiuisibilis est, & non constans pluribus talibus partibus: sed absurdum est quod ille conceptus dependeat à quantitate ita, ut non possit intelligi aut esse, ut talis substantia, sine quantitate: ergo prius habet habere partes substantiales, quam exigere quantitatem. Patet secundo, quia certum est substantiam elephantis exigere maiorem quantitatem connaturaliter, quam substantia hominis, & substantiam hominis exigere maiorem quantitatem quam substantia muscæ exigit. Sed sane huius assignari nequit alia ratio, nisi quod exigit connaturaliter substantia elephantis plures partes substantiales quam exigit substantia hominis: ergo prius est substantiam habere plures partes substantiales quam exigere quantitatem talem vel talem.

18. Probat secundum idem principale antecedens, nimirum; quod substantia ex se habeat plures partes, quia in veriori sententia substantia manus distinguitur essentialiter à substantia oculi, & hanc distinctionem nequeunt habere à quantitate, quæ est eiusdem rationis in ipsis: ergo substantia habet ex se plures partes integrales, & non à quantitate. Deinde, certissimum est, quod substantia vnus partis aquæ distinguitur ita realiter à substantia alterius partis, ut vna possit manere altera destructa, & quod non habeant hoc à quantitate, quia sine quantitate posset conseruari vna sine altera, & vtrique separata à se inuicem, ut si pars vnus aquæ conseruaretur absque quantitate in Hibernia, & altera Roma, de possibilitate cuius casus non potest esse locus dubitandi: ergo ex se habet substantia plures partes.

Propter hoc argumentum concedit & bene Ioannes à S. Thoma, substantiam ex se habere partes plures entitativæ, quarum vna non sit altera, sed dicit tamen vltimus licet substantia ex se habeat plures entitates substantiales, ex quibus integratur, illas tamen entitates futuras confusas & absque vilo ordine, nisi adueniet quantitas, quæ eatenus dici debet extendere partes substantie, quatenus facit, ut plures entitates substantiales, quas includit substantia corporea, habeant ordinem inter se, ita ut vna entitas alteri entitati, & altera alteri immediate coniungatur, & ita ut vna correspondeat vni parti loci, & altera alteri, si substantia illa ponatur in loco. Vnde habere partes extra partes, quod est proprium quantitatis secundum hunc authorem, est habere partes extra partes cum huiusmodi ordine absque confusione.

Sed contra hanc doctrinam facit primo, quod gratissime asserat hic author, substantiam, quæ exigit plures partes entitativæ distinctas, non exigere ipsas, cum ordine tam quoad se, quam quoad locum.

Deinde certum est, quod non à quantitate habeat homo, quod oculus non sit vnitus manui immediate, nec auris pedi; cum enim quantitas omnium partium hominis sit eiusdem rationis, non potest concipi quomodo faceret oculum potius vniri capiti quam manui: ergo substantia hominis exigit, partes suas cum ordine quodam inter se vniri independentem à quantitate. Deinde eo ipso quo sic exigit eas vniri, exigit etiam connaturaliter independentem à quantitate, ut, si substantia illa tota ponatur in loco, oculus correspondeat vni parti loci, & manus alteri, & consequenter exigit partes suas esse ordinatas etiam quoad locum absque confusione: quod magis patebit ex dicendis.

19. Probat tertio idem antecedens principale, nimirum quod substantia ex se habeat partes extra partes tam in ordine ad se, quam in ordine ad locum: quia, si à substantia hominis separaretur quantitas, ut bene fieri posset in instanti, non deberent partes eius confluere ad punctum, nec moueri vilo modo localiter à loco, in quo erant antecederet: ergo haberet illa substantia ex se partes extra partes tam in ordine ad se quam in ordine ad locum.

Probat

Substantia
habet par-
tes extra
partes in
ordine ad
se & lo-
cum.

Probatut antecedens, tum quia gratissime, & absque fundamento villo id diceretur, tum quia non esset porior ratio cur confluerent ad vnum punctum istius spatij, quam ad quodcumque aliud; nec necessariò deberet Deus determinare, ad quod punctum confluerent, nec esset assignabile vllum principium, à quo ille motus effectiue procederetur; tum tertio, quia aliàs daretur motus successiuus in instanti, aut saltem vna pars moueretur ab vna parte spatij ad alteram partem distantem, non transeundo per medium, quod implicat fieri naturaliter; nam pars substantiæ manus correspondens huic parti loci, cui iam correspondet de facto, deberet transire ad aliquod vnum punctum, ad quod idem punctum deberet confluere pars substantiæ pedis, & sic vel manus vel pes deberet transire in illo instanti ad illud punctum, quod esset distans à parte loci, cui correspondet iam, non pertransito medio, vel eo pertransito in instanti.

20. Dices illum confluxum partium substantiæ ad punctum in illo casu fieri supernaturaliter, non naturaliter.

Contra primò, quia ex hac responsione sequitur quod saltem naturaliter non deberent confluere ad punctum, & consequenter quod naturaliter loquendo; deberent esse extra se inuicem, quod sufficit nobis.

Contra secundò, quia Deus non tenetur supernaturaliter concurrere ad talem confluxum, qui ad nihil profus deferuit; ergo posset non concurrere, & consequenter haberet substantia partes extra partes absque quantitate.

Dices Deum non teneri simpliciter ad illum confluxum, sed solum secundum quid, ex hypothesi prioris miraculi, hoc est separationis quantitatis.

Contra, quia nulla est ratio ob quam deberet, etiam conaturaliter ex suppositione talis separationis, concurrere ad illum confluxum. Deinde ille confluxus est realiter distinctus ab illa separatione, nec vnū ex illis est necessario connexum ex vilo capite cum altero; ergo Deus ex suppositione separationis non tenetur concurrere ad illum confluxum.

21. Ioannes à sancto Thoma respondet, quod separata quantitate à substantia hominis verbi gratia non confluerent omnes partes ad punctum nec in tempore, nec in instanti, sed tamen quod non haberet partes extra partes formaliter, nec vnam partem correspondentem vni parti loci, & aliam alteri, quia neque esset in loco, sed esset in vniuerso tanquam aliquid eius: Omnes enim huiusmodi imaginationes, inquit, tollendæ sunt, quia sequuntur quantitatem; quare illa substantia nec est distans, nec alicubi positiue, sed solum haberet existentiam suam sine loco, sicut res extra mundum, & Angelus non operas.

Hæc responsio, quamuis approbetur à quodam Scolista, putante propterea prædictum nostrum discursum nullius esse roboris, nullo modo satisfacit. Primò, quia supponit falsa principia, nimirum Angelum non esse in loco, nisi operetur, & quod esse in loco & habere partem correspondentem vni parti loci, & aliam alteri, sequatur solummodo quantitatem; quod nos hic negamus. Secundò & principalius, quia certum est, quod illa substantia hominis, quæ in hoc instanti existit in hoc loco, & non moueretur ab hoc loco localiter, si in alio instanti separaretur quantitas, sic ita indistans à corporibus in hac schola locatis, vt si oculus posset ipsam videre, oculi hominum hic existentium posset eam videre, & oculi eorum, qui essent in Hibernia, non posset ipsam videre. Deinde certum est, quod posset eadem substantia fieri ab illis ipsis oculis ita distans, & ita indistans ab oculis existentibus in Hibernia, vt hi posset eam ipsam videre, & illi non posset; ergo est in loco sufficienter ad propositum nostrum, siue sit in loco positiue, siue negatiue, quod nihil facit ad rem.

22. Confirmatur; quia certum est, quod Angelus posset intuitiue videre talem substantiam, & cognoscere ipsam vt distinctam ab alijs substantijs, & certum est, quod si ipse posset destruere partes illius, quod posset destruere vnam partem relictis alijs, & quod posset ostendere quanam pars aeris, qui succederet quantitati destructæ, esset sine parte illa substantiæ ab Angelo corruptæ, seu destructæ.

Confirmatur secundò, quia destructa quantitate illius substantiæ, succederet ipsi aër, & aër ille esset penetratiue simul cum substantia, quæ peid dit quantitatem: Quæro tum, an cum vna parte istius aeris esset tota illa substantia penetrata, an solum pars ipsius: si tota: ergo admittitur confluxus partium ad vnam partem: si pars tantum: ergo admittitur pars extra partem cum correspondentia ad partes loci.

Contra tertio, quia tam verum est illam substantiam esse in loco, quam ipsam quantitatem: nec est vlla prius ratio, quæ probat quantitatem esse in loco positiue, quæ non probat illam substantiam esse in loco positiue: & sane qua ratione posset defendi quod illa substantia non esset in loco, eadem sustineri posset, quod nec quantitas etiam esset in loco positiue.

23. Confirmatur conclusio, & tota doctrina hæcenus proposita, quia nulla est ratio vnde colligatur quod substantia accipiat extensionem partium à quantitate potius, quam quantitas à substantia; nec vlla est ratio, vnde dicatur quod quantitas ex se habeat partes extensas, potius quam substantia: ergo non est dicendum quod habere partes extra partes sit potius de essentia quantitatis, quam de essentia substantiæ.

Dices id colligi ex eo, quod de facto repetitur quantitas cum partibus extra partes: vt in mysterio Eucharistiæ absque substantia.

Contra, quia si conseruaret Deus substantiam aquæ, verbi gratia absque quantitate, illa etiam haberet partes extra partes tam bene quam quantitas habet in illo mysterio: ergo ex hoc non colligitur quod ex se magis competat quantitati habere partes extra partes, quam substantiæ. Plura alia argumenta adducuntur pro nostra conclusione, quæ sibi obiciunt Complutenses, & quibus nullo modo satisfacit ipsi, nisi supponendo incertissima principia, vt facile erit ex dictis & dicendis colligere: quæ tamen argumenta breuitatis causa hic proponere omisi, contentus iam præmissis & solutione argumentorum, in quibus fundant se aduersarij.

14. Obiicies ex Ioanne à Sancto Thoma duo fundamenta, quibus ipsius, & Thomistarum opinio innititur secundum ipsum; primum est quod indiuiduatio rerum corporatarum sumatur à quantitate, tanquam à conditione requisita.

Verum hoc principium imprimis est falsum, vt patet ex dictis supra: deinde nihil facit ad propositum, quia ipse non potest dicere quod indiuiduatio rerum ita sumatur à quantitate, vt non haberent indiuiduationem, quamuis actu non haberent quantitatem. Certum est enim quod duo lapides, destructis quantitativis, essent duo numero distincti lapides, vt ipsemet concedit, cum quo tamen tenet prædictum principium, quia dicit indiuiduationem ipsorum sumi non ab ordine actuali ad quantitatem, sed ab aptitudinali: ergo similiter duæ partes aquæ posset esse distinctæ & extra se absque quantitate, quamuis distinctio earum sumeretur à quantitate, quia non deberet sumi illa distinctio ab ordine actuali ad quantitatem, sed ab aptitudinali, qui ordo aptitudinalis posset esse absque eo quod quantitas actualiter inhaereat substantiæ.

25. Secundum fundamentum ipsius est, quod partes integrales ex propria sua ratione non possunt esse distinctæ & inconsulæ, nisi ab aliquo accidente, quia extensio partium in toto non est quæcumque vnio earum, sed vnio penes extremitates tantum: partes autem substantiæ non habent vniri secundum extremitates à seipsis, quandoquidem substantia non habeat extremitates: extremitates enim sunt indiuisibilia vt linea, superficies, & puncta, quæ non reperiuntur in substantia sine quantitate.

Respondeo, partes integrales substantiæ habere esse vnitas integraliter, eo modo quo partes quantitatis; vnde sic dicatur quod partes quantitatis vniantur seipsis absque accidente superaddito, similiter dicendum est de partibus substantiæ: & si partes quantitatis dicantur vniri per aliquos respectus, vt fortassis melius dicitur, idem concedendum erit de partibus integralibus substantiæ: Ad id autem quod dicitur, partes integrales debere vniri secundum

Partes substantiæ pos-
sunt vniri
ordine vn-
minus quæ
quantitatis.

extremities seu indiuisibilia, secundum satis communem sententiam, quæ negat etiam in ipsa quantitate indiuisibilia, id negatur. Quod si admittantur indiuisibilia in quantitate, possunt etiam admitti in substantia similia indiuisibilia ipsis conformia, punctum enim quantitatis debet subiectari in puncto substantiali, & linea quantitatis in linea substantiali.

Dices cum eodem autore: hinc sequeretur quod substantia ex se esset impenetrabilis, & sic quod nullus daretur effectus particularis, aut usus quantitatis.

Respondeo primo, potius me negaturum quantitatem esse accidens aliquod absolutum distinctum à substantia & qualitatibus, quam concessurum quod substantia ex se non haberet partes, quæ essent extra se inuicem.

Respondeo secundo negando sequelam, quia licet partes substantiæ vnirentur, mediantibus indiuisibilibus, adhuc possent penetrare se inuicem, sicut de facto partes quantitatis possunt de potentia absoluta penetrari, non obstante quod vniantur per indiuisibilia: neque in hoc est vlla prorsus difficultas.

26. *Obiicies secundo ex Complutensibus*: extensio illa partium substantiæ independentem à quantitate non est necessaria: ergo sola quantitas per se, & ex se habet talem extensionem. Consequentia est euidens, quia eatenus illa sola non haberet illam extensionem, quatenus etiam competere substantiæ. Probat antecedens, quia ideo esset ista extensio partium substantiæ necessaria, ut posset in se recipere quantitatem, quæ partes extensas habet, ne scilicet diuisibile extensio in indiuisibili extensio recipiatur: sed ad hoc non est necessaria illa extensio, sed sufficit capacitas substantiæ ad recipiendam quantitatem, alias inquit, si ad recipiendam extensionem quantitatis non sufficeret extensibilitas substantiæ, sed necessaria esset aliqua extensio actualis entitativa; similiter ubi circumscriptum deberet præsupponere aliud ubi entitativum, & ut anima reciperet intellectum, deberet præhabere alium intellectum.

Respondeo negando minorem: quemadmodum enim qualitates extensæ non possent recipi in quantitate, nisi hæc esset extensa entitativa, ita sane non posset quantitas extensa recipi in substantia, nisi hæc esset entitativa extensa. Ad probationem minoris nego sequelam: neque enim ad recipiendum vllum accidens debet subiectum præhabere aliud accidens simile; neque est vlla ratio aut experientia, cur ante ubi deberet esse aliud ubi, aut ante intellectum alius intellectus; neque id ab vilo nisi absurdissime aut diceretur, aut conciperetur, ut mirum mihi sit cur *Complutenses* vtantur istis exemplis, quæ prorsus nihil faciunt ad rem, nec vllam habent proportionem cum re hic controuersa.

Quantitas
non posset
extendere
substantiæ
indiuisibi-
lem.

27. Itaque implicat contradictionem, quod quantitas posset extendere partes substantiæ, nisi substantia haberet plures partes extensibiles, quarum vna non esset altera, & propterea ad hoc ut recipiat quantitatem extendentem, debet necessario habere plures huiusmodi partes seu entitates; nec hoc potest cum vlla probabilitate negari: posset quidem quis imaginari quod substantia habens plures partes haberet ipsas ex se confusas antecederet ad quantitatem, & nõ esset necessarium quod intelligeretur habere illas extensas & inconfusas antecederet ad quantitatem: sed bene posset ista extensio earum provenire à quantitate adueniente ipsis, nec nos asserimus extensionem propterea debere competere ex se substantiæ, quasi non posset provenire à quantitate; sed dicimus imprimis nullam esse rationem, cur nõ haberet illam extensionem & inconfusionem partium ex se tam bene quam quantitas suam extensionem ex se habet: & dicimus vltimus necessarium esse naturaliter loquendo, quod habeat illam extensionem ex se in casu quo quantitas eius destrueretur in instanti: & per hoc ruit totaliter hæc obiectio Complutensium.

28. *Obiicies tertio*: Non potest ante quantitatem esse in substantia vlla compositio partium integritatum etiam entitativarum: ergo illa compositio & consequenter extensio habetur à quantitate. Probatur antecedens, quia compositio partium integralium est accidentalis, quia non

est ex actu & potentia simpliciter: ergo nequit esse in substantia ante quantitatem, cum quantitas sit primum accidens substantiæ.

Confirmans: quia partes integrales etiam heterogeneæ in esse partium, & distinctio earum causatur ab accidentibus; ergo ablatis accidentibus non manebunt actu partes integrantes. Probatur antecedens, quia caput & manus solum de materiali significant substantiam; de formali vero talem vel talem figuram cum his & illis accidentibus. Similiter ossa non distinguuntur à carne in ratione substantiæ, sed penes durum & molle, quæ sunt accidentia: ergo ridiculum est dicere quod ablata quantitate & aliis accidentibus consequentibus daretur in substantia caput, manus &c.

Respondeo negando antecedens, & ad probationem distinguo antecedens: est compositio accidentalis, id est compositio partium, quæ non habent se per modum actus & potentie, concedo antecedens; est compositio accidentalis, prout talis dicitur compositio subiecti & accidentis in se subiectati, sicut est compositio panis, & albedinis, nego antecedens, & etiam consequentiam, quia optime possit esse compositio accidentalis, prout talis dicitur compositio seu unio rerum, quæ non habent se per modum actus & potentie per se antecederet ad omnem quantitatem, & etiam si quantitas esset possibilis: Imo posset esse compositio accidentalis, prout talis dicitur compositio ex subiecto & accidente inherente antecederet ad quantitatem, quia substantia hominis antecederet ad quantitatem, habet dissimilitudinem essentiali cum substantia Angeli & Leonis ex se independenter à quantitate: quæ dissimilitudo facit eam illa substantia compositio nem accidentalem in hoc sensu. Ex quo patet falsum esse quod dicunt Complutenses, nimirum quantitatem esse primum accidens quod aduenit substantiæ; nam illa relatio similitudinis prius ipsi aduenit. Verum quidem est secundum communior sententiam, quod ex accidentibus absolutis quantitas sit prius accidens, quod aduenire solet substantiæ materiali, & consequenter, quod nullum accidens absolutum præsupponatur ipsi; sed hoc non facit ad rem nisi ostendant quod compositio partium integralium sit compositio accidentalis, id est compositio indigens accidente absoluto: hoc autem non facile poterunt ostendere aduersarij.

29. Itaque si requiratur vllum accidens ad compositionem integram partium substantiæ, non erit aliud quam unio istarum partium inter se, quæ unio erit respectus, & consequenter poterit aduenire substantiæ ante quantitatem. Quod si illa unio esset accidens absolutum, tum negandum esset, quod quantitas esset primum accidens absolutum, quod adueniret substantiæ.

Quod confirmatur maxime in nostra sententia, qui dicimus unionem formæ substantialis & materiæ primæ esse accidens relatum independens per se essentialiter à quantitate: quod si ista unio materiæ & formæ esset quid absolutum & substantiale, similiter posset dici quod unio partium integralium substantiæ sit quid absolutum substantiale, & falsum esset quod sola, quæ habent se per modum actus & potentie per se vnirentur per unionem substantialem.

Si ergo dicatur quod unio quæ vniantur partes integrales substantiæ, sit substantialis intrinsece, falsum est quod debeat compositio partium integralium exigere quantitatem, aut aliquod aliud accidens; & falsum est, quod illa compositio sit accidentalis, id est exigens accidens prædicamentale; quod autem alio modo esset accidentalis, non facit ad rem. Si vero dicatur quod illa unio sit accidens absolutum, falsum est quod quantitas sit primum accidens absolutum, quod aduenit substantiæ; & consequenter quantum admittatur illa compositio esse accidentalis, id est exigens accidens, adhuc non sequitur, quod necessario exigat quantitatem. Si denique dicatur quod sit quid accidentale respectuum, poterit haberi sine quantitate, & consequenter illa compositio partium integralium bene poterit haberi absque quantitate. Quod autem possit haberi unio partium substantiæ integralium absque quantitate, qualescunq;

qualicumque sit illa unio, pater euidenter, quia si separaretur quantitas à substantia Oceani verbi gratia, non ideo illa pars Oceani, quæ correspondet Hiberniæ, esset discreta, aut discontinua à parte substantiali Oceani, quæ iam ipsi est continua: ergo esset ipsi continua, quia inter continuum & discontinuum non datur medium: ergo essent vnitæ illæ partes substantiales sine quantitate.

30. *Dices*: non haberent tunc rationem partium. *Contra*, quia hoc gratis dicitur, & deinde non facit ad rem; quia saltem habetur quod duæ illæ entitates substantiales, quæ habebant rationem partium, dum aderat, quantitas, sint continuæ & vnitæ, siue habeant rationem partium, siue non habeant, quod nobis sufficit.

Ad confirmationem respondeo primo negando antecedens cum sua probatione, quia caput non solum dicit materiam primam, sed formam substantialem diuersæ rationis à forma substantiali, quam dicit manus, vt suo loco monstrabimus: & sane multo magis ridiculum videtur quod non differant substantialiter substantiæ, cui accidentia tam dissimilia debentur, quam quod manerent cum substantia differentia sine quantitate: & eodem modo posset quis dicere quod bos & equus non distinguerentur substantialiter, sed penes accidentia, at id dici potest de carne, & ossibus.

Respondeo secundo distinguendo antecedens: in esse partium distincta rationis essentialis, trapseat antecedens; in esse partium substantialium eiusdem rationis, nego antecedens. Itaque supposito quod caput non includat nisi materiam & formam eiusdem rationis cum materia & forma manus, & quod solum habeat dissimilitudinem accidentalem sicut haberet homo niger & homo albus; verum sit quod dissimilitudo eorum proveniat formaliter ab accidentibus, & quod ablatis consequenter accidentibus non manerent cum illa dissimilitudine, sed cum omnimoda similitudine: tamen adhuc haberent distinctionem suam numeralem, neque enim essent identificatæ sibi realiter, & posset esse vel vnitæ sibi, vel separatæ, prout placere Deo; unde illa distinctio entitativa eorum maneret, destructa quantitate, quod est mihi euidentius.

31. *Obiicies quare ex Alberto*: materia prima hominis, remota quantitate, vel est simplex, vel composita: si simplex, erit indiuisibilis, quod est intentum: si composita vel prima compositione, vel secunda: non prima, quia hæc sit ex actu per se & potentia, materia autem non includit actum per se tanquam partem essentiali sui, cum sit pura potentia physica; non etiam secunda, quæ est ex subiecto & accidente, quia vbi non est prima compositio, repugnat esse secundum compositionem.

Confirmatur: si materia secundum se componeretur ex partibus, necessario ibi esset distinctio partium: sed hæc est impossibilis in materia, quia vbi est distinctio vnus ab alio, necessario interuenit aliquis actus, actus enim est qui distinguit, ex 7. *Met. text. 49.* materia autem, cum sit pura potentia, non habet actum.

Confirmatur secundo quia prius est esse quam maius esse: materia ex se non habet esse: ergo neque maius esse, & consequenter ex se non habet extensionem partium.

32. *Respondeo* materiam primam hominis, remota quantitate, esse simplicem, quantum ad compositionem essentiali physicam, & esse sic indiuisibilem, id est quid, cui repugnat diuidi in partes physicas essentielles, quod etiam de ipsa verum est quando afficitur quantitate: non est autem simplex integraliter, sed composita eodem modo quoad partes integrales entitativas sine & cum quantitate. Quamuis autem hoc modo sit composita, non debet esse composita aut prima compositione, id est compositione ex actu & potentia per se physica; nec secunda compositione, id est compositione ex subiecto & accidente; sed erit composita compositione partium integralium, sicut ipsa quantitas dicitur ab aduersariis esse composita: quæ tamen non est composita nec prima nec secunda compositione in sensu præmissis, vt est euidentius. Vnde mirum est adduci hanc probationem ab aduersariis, & magis mira est probatio illa, quæ probant materiam non posse esse

compositam secunda compositione ex subiecto & accidente, quia non est composita prima compositione; nam certum est dari compositionem ex subiecto & accidente, ex Angelo verbi gratia, & intellectione, & ex hac quantitate & albedine absque prima compositione ex actu per se & potentia physica. Quod si intelligant compositionem primam esse illam, quæ est vel ex materia & forma, vel ex genere & differentia, tunc falsum est materiam primam non esse compositam prima compositione, includit enim genus & differentiam metaphysicam, quamuis sit pura potentia physica.

Addo, hanc rationem solum probare quod materia prima ex se non haberet partes, sed non probat quin compositum ex materia prima & forma substantiali haberet ex se partes integrantes, & quin esset compositum ex talibus partibus, quia esset etiam compositum prima compositione.

Et per hoc patet ad duas confirmationes, quæ non probant aliquid de tali composito: sed solum de materia prima cum tamen nobis sufficiat, illud compositum habere partes integrales extensas independentes à quantitate.

33. *Respondeo tamen* ulterius ad primam confirmationem, concedendo sequelam maioris, loquendo de distinctione numerica, & negando minorem; ad cuius probationem dico, quod distinctio omnis proveniat ab actu metaphysico, hoc est vel à differentia essentiali, vel individuali, & dico materiam primam correspondentem capiti habere differentiam individualement, qua distinguitur à materia prima correspondente manui, alias non posset illa annihilari, hæc conservari, quod est absurdissimum. Habet etiam differentiam essentiali suam materia prima, quia essentialiter distinguitur à forma substantiali, & accidentibus, & Angelis & Deo: quando autem dicitur quod sit pura potentia non includens actum, hoc debet intelligi de pura potentia physica, & actu physico, non de pura potentia metaphysica, & actu metaphysico, vt suo loco dicemus.

Addo, quod quamuis ex se materia non posset habere plures partes distinctas, posset tamen habere pluralitatem partium ex forma substantiali sine quantitate, quod sufficit nobis.

Ad secundam confirmationem etiam respondeo primo, quod quamuis materia non haberet neque esse, neque maius esse ex se, quod posset habere & esse & maius esse à forma substantiali sine quantitate, vt iam dixi de partibus.

34. *Respondeo secundo* negando minorem; ex se enim habet materia suum esse existentie tam bene quam forma; & maius vel minus esse iuxta partes tantas, vel tantas.

Obiiciunt quinto idem Complutenses: esse extensum quacumque extensione, sicut esse quale, est esse secundum quid: ergo sicut esse quale provenit substantiæ à forma accidentali, ita etiam & esse extensum quacumque extensione, & consequenter sicut ablata qualitate substantia non haberet esse quale, ita ablata quantitate non remaneret villo modo extensa. Probatur antecedens, quia illud est esse secundum quid respectu substantiæ, per quod non potest responderi ad questionem quid est ipsius substantiæ, vel quod non complet aut terminat eam intra limites substantiæ: sed esse extensum est huiusmodi; ergo. Probatur maior, quia in substantia nullum aliud datur esse simplex, nisi vel essentie, per quod responderetur ad questionem quid est; vel esse substantiæ & existentie, quæ sunt complementa & termini ipsius substantiæ. Probant minorem, quia querenti quid est homo, non responderetur, est extensus etiam entitatiue, sed est animal viuens, &c. neque talis extensio est complementum aut terminus substantiæ in ratione substantiæ.

Confirmant primo, quia ridiculum esset distinguere quoddam esse quale entitatiue, & quale qualificatiue: ergo absurdum est etiam dicere quod detur aliquid extensum entitatiue, & aliud extensum quantitatiue.

Confirmant secundo, quia ex opposita sententia: hoc est nostra

nostra, sequitur nullum dari quantum per accidens; si enim admittitur in substantia extensio partium entitativa, pariter admittenda erit talis extensio in qualitatibus subiectatis in quantitate, ut in albedine, colore, &c. quæ omnia absurda sunt, & aliena à schola Aristotelica: ergo substantia ex se, seclusa quantitate, nullam habet propriam extensionem.

35. *Respondeo primo* negando secundam consequentiam, quia posset provenire ab alio accidente quam à quantitate: & sane ita dicendum est in nostra sententia, quod esse extensum proveniat ab vnione partium integralium, quæ est accidens respectuum independens à quantitate, tanquam à conditione sine qua non, quemadmodum esse compositum physice provenit ab vnione materie & forme, tanquam à tali conditione, quæ vnio materie & forme est accidens, ut dicemus suo loco.

Respondeo secundo, quod esse extensum, id est includere partes integrales, quæ connaturaliter possunt esse extra se inuicem, non sit esse secundum quid, sed esse simpliciter substantiæ corporeæ ut sic, prout hæc opponitur substantiæ spirituali, & prædicatur de ipsa in quid, sicut prædicatur de ipsa corpus, quia idem est corpus ut sic, ac substantia includens huiusmodi partes, maxime in sententia aduersariorum, & omnium, qui dicunt substantias spirituales esse indiuisibiles, unde falsa est minoris probatio.

Respondeo tertio distinguendo maiorem: est esse secundum quid, id est esse non prædicabile in quid neque per modum substantiæ aut existentiæ, transeat maior, est esse secundum quid, id est esse proveniens à solo accidente, nego maiorem; neque in hoc sensu probatur ab aduersariis, in quo tamen sensu deberent illam probare.

36. *Addo ad hæc*, male dici ab ipsis quod omne illud esse sit secundum quid respectu substantiæ, quod non prædicatur de ipsa in quid, neque ut substantia, neque ut existentia, quia rationalitas non est esse secundum quid hominis, cum sit principium constitutum essentiali ipsius, & tamen non prædicatur in quid, nec de homine, nec de indiuiduis, neque etiam ut existentia aut substantia. Rursus esse animæ non est esse secundum quid hominis, & tamen non prædicatur de homine in quid, neque ut existentia aut substantia. Et hinc ulterius infero quod quamuis extensio partium non posset prædicari de substantia in quid, non inde sequeretur quod esse extensum esset esse secundum quid hominis. Quantum autem ad rei veritatem, quod homo habeat partes integrantes tot vel tales, est ipsi prædicatum accidentale, id est non essentiali ipsi quia homo maneret enim conceptus hominis sine manu eius, & in hoc sensu potest dici quod habere tot partes sit esse secundum quid ipsi; sed inde non sequitur quod proveniret à quantitate, aut ab ullo alio accidente tanquam à sola causâ formali. Si autem per esse simpliciter non intelligitur solū esse quod est de constitutione essentiali physica, aut metaphysica, sed etiam quodcumque esse partium substantialium rei, tum esse extensum erit de esse simpliciter hominis, siue prædicetur in quid, siue non, neque in hoc potest esse alia quaestio quam de nomine.

37. *Ad primam confirmationem* concedo antecedens, quia nulla est ratio aut experientia, unde colligitur dari esse quale entitatiue distinctum ab esse quale quod habetur à quantitate; nego autem consequentiam, quia sunt urgentissima fundamenta asserendi partes extensis entitatiue independentes à partibus extensis quantitatiue; unde hoc debet asseri, licet illud primum non asseratur.

Ad secundam confirmationem nego sequelam, concedo tamen quod qualitates corporeæ subiectatæ in quantitate habeant partes extensas entitatiue independentes à quantitate, quemadmodum substantia habet, nec hoc est ullo modo absurdum aut alienum à schola Aristotelica, neque inde sequitur quod non darentur quæta per accidens, quia & substantia affecta quantitate est taliter quanta, & etiam accidentia subiecta in quantitate; nec idem est esse quantum quantitate huius prædicamenti, ac habere extensionem partium quaecumque, ut ipsi supponunt.

CONCLUSIO V.

38. *Ratio formalis quantitatis non bene explicatur dicendo, quod sit illud quod reddit impenetrabile naturaliter, id est in quo est, cum alio eiusdem speciei.* Hæc est contra *Arriagam disp. 5. Met. num. 14.*

Quantitas non est id quod facit impenetrabile cum alio eiusdem speciei.

Probat, quia quantitas non solum habet reddere impenetrabile id, in quo est cum alio eiusdem speciei, sed cum alio diuersæ speciei; nec enim homo, in quo est quantitas, est impenetrabilis magis cum alio homine quam ligno & lapide. Et si loquatur *Arriaga* de subiecto immediato quantitatis supponendo illud esse materiam primam, adhuc non valet explicatio, quia si darentur materiæ primæ diuersæ speciei, ut multi tenent de materia sublunarium & celestium, adhuc essent impenetrabiles naturaliter à quantitate. Rursus si daretur albedo cum quantitate identificata extra subiectum; & dulcedo cum alia, ut probabile reputat *Arriaga*, expellerent se mutuo, nisi vniuerse physice non minus, quam de facto expellunt se mutuo homo, & equus: ergo quantitas non expellit solum ea, quæ sunt eiusdem rationis.

CONCLUSIO VLTIMA.

39. *Ratio formalis quantitatis consistit in illa extensione partium, ad quam sequitur aptitudo & exigentia connaturalis expellendi se inuicem & alias res ab eodem loco, quæ aptitudo vocatur communiter impenetrabilitas naturalis.* Hæc est communior apud Scotistas & recentiores. *Probat* primo, quia certum est omnem quantitatem habere hanc extensionem, & nihil aliud habere eam nisi quantitatem, vel ratione quantitatis. Deinde nulla alia ratio formalis convenientius potest attribui quantitati quam huiusmodi ratio.

In quam extensionem consistit ratio formalis quantitatis.

Confirmatur, quia ideo quantitas habet posse diuidi naturaliter per interpositionem corporis, quia non potest compati connaturaliter cum corporibus, in quibus non subiectatur; & ideo habet aptitudinem occupandi locum circumscriptiue, quia habet hanc extensionem partium, ad quam sequitur aptitudo expellendi se inuicem & alia ab eodem spatio: ergo illa extensio est ratio formalis ipsius.

Confirmatur secundo, quia debet habere aliquam rationem formalem sibi peculiarem: ergo cum nulla potius attribui debet, quam hæc extensio, debet dici quod hæc sit ratio formalis propria ipsius.

40. *Obiicies primo*: substantia habet partes, quæ expellunt connaturaliter se inuicem ab eodem loco, & etiam alias substantias, & idem est de albedine aliisque qualitatibus: ergo illa extensio partium non est propria quantitati.

Respondeo distinguendo antecedens: quæ se expellunt ratione sui, nego antecedens ratione quantitatis, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia illa extensio partium, quæ se expellunt connaturaliter ab eodem spatio ratione sui, est propria quantitati, & nulli alij conuenit nisi ratione quantitatis.

41. *Obiicies secundo*: Quantitas non expellit ab eodem loco substantiam, quam afficit, nec qualitates in se subiectatas, nec etiam substantias spirituales aut corpora gloriosa, etiam connaturaliter: ergo male dicitur quod ratio formalis ipsius consistat in extensione partium, ad quam sequitur connaturaliter aptitudo ad expellendas alias res ab eodem spatio.

Respondent aliqui distinguendo consequens: ad expellendas alias affectas quantitate, concedunt. Unde explicant naturam quantitatis per ordinem ad expulsionem aliarum rerum affectarum quantitate.

Sed hæc explicatio non placet, quia numquam bene explicatur natura vilius rei per ordinem ad seipsam, aut aliquid eiusdem rationis cum seipsa formaliter; ergo non bene explicatur natura quantitatis per ordinem ad expellendum aliam quantitatem, aut rem affectam alia quantitate.

Respondeo ergo aliter distinguendo consequens alio modo: ad expellendas alias res omnes, concedo antecedens; nec

nec sic explicauimus naturam quantitatis in conclusione: expellendas alias aliquas res, nego antecedens. Itaque id, ratione cuius substantiæ aliquæ & qualitates expellunt se inuicem ab eodem loco, est quantitas, & consequenter natura quantitatis bene explicatur per ordinem ad hoc.

44. *Obiicit tertio:* Quantitas potest compati in eodem spatio cum quibuscumque aliis rebus, ut patet in quantitate corporis gloriosi, quæ est penetrabilis cum quacumque re, & partes eiusdem quantitatis possunt compati simul in eodem spatio, ut patet in quantitate Christi sub speciebus Eucharisticis: ergo male dicitur quod ratio formalis ipsius consistat in impenetrabilitate radicali; seu in extensione partium, ad quam sequitur aptitudo expellendi se inuicem & alias res aliquas ab eodem spatio.

Respondeo distinguendo antecedens: potest naturaliter, nego antecedens; supernaturaliter, concedo antecedens, & similiter distinguo consequens: ad quam sequitur talis aptitudo, ut nullo modo possit compati cum aliis omnibus rebus, concedo consequentiam: ad quam sequitur aptitudo connaturaliter alias aliquas res expellendi ab eodem loco seu spatio, nego consequentiam.

Dices: penetrabilitas est proprietas opposita impenetrabilitati, & competens rebus essentialiter distinctis à quantitate, ut rebus spiritualibus: ergo non potest competere quantitati, si impenetrabilitas sit proprietas illius.

Confirmatur: quia penetratio est actus proprius competens penetrabilitati: ergo nequit competere quantitati, quæ habet proprietatem oppositam, nimirum impenetrabilitatem.

45. *Respondeo* penetrabilitatem ut sic non esse proprietatem quarto modo rerum spiritualium & distinctarum essentialiter à quantitate, sed penetrabilitatem naturalem: hæc autem penetrabilitas non competit quantitati, cui proprium quarto modo est, non impenetrabilitas quomodocumque, sed impenetrabilitas connaturalis.

Iuxta hæc respondeo penetrationem, ut sic, non esse actum proprium penetrabilitatis incompatibilis cum impenetrabilitate, sed penetrationem naturalem, hæc autem non cōuenit quantitati: penetratio autem supernaturalis, quæ continere potest quantitati, non est actus proprius penetrabilitatis naturalis, quæ sola est incompatibilis eū quantitate: sed penetrabilitatis supernaturalis, quæ cum impenetrabilitate naturali est compatibilis in eadem re: neque enim est inconueniens quod eadem res sit penetrabilis supernaturaliter, & impenetrabilis naturaliter, sicut non est inconueniens quod idem corpus habeat inepitundinem naturalem ad essendum in multis locis simul, & aptitudinem ad essendum in illis simul supernaturaliter.

Dices: nec rugitus, nec rugibilitas potest vlla ratione competere homini, cui proprietas quarto modo est risibilitas: ergo nec penetratio, nec penetrabilitas potest vllō modo competere quantitati, cui proprietas est impenetrabilitas.

Respondeo negando consequentiam, quia penetratio supernaturalis, & aptitudo ad penetrandum supernaturaliter non opponitur impenetrabilitati naturali, quæ est proprietas quantitatis, sicut rugitus & rugibilitas opponuntur risibilitati, ut supponitur. Quod si supponatur rugitus & rugilitatem supernaturalem non opponi risibilitati hominis, tum dicendum est hominem posse supernaturaliter rugire, & habere aptitudinem seu potentiam ut possit rugire supernaturaliter, sicut habet quantitas ut possit penetrare.

QVÆSTIO III.

Utrum quantitas sit quid realiter distinctum à substantia.

46. *Prima sententia est* Nominalium tenentium non esse accidens aliquod distinctum realiter à substantia quanta aut accidentibus quantis. Ita Occamus in 4. dist. 4. quodl. 4. quæst. 29. & in tractatu de corpore Christi cap. 17. Gabriel num. 2. dist. 10. Aureolus apud Capreolum 2. dist. 18. art. 2. & hanc sententiam putat probabiliorē Arriaga diff. 5. Met. n. 10. Ex modo autem quo

probant hi authores hanc sententiam, videntur mihi capere quantitatem pro extensione partium, tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum, sic ut vna pars petat connaturaliter esse correspondens parti loci, & alia alteri. Supposita autem hac acceptione quantitatis, non possent habere nobiscum, nec cum recentioribus in hac re controuersiam, qui admissimus quæstione præcedenti substantiam corpoream ex se habere huiusmodi extensionem independentem ab omni accidente absoluto à se distincto: & idem etiam dicendum est de qualitatibus, nec hoc indiget alia probatione, quam qua vñ sumus eo loci. Itaque ut hæc sententia Nominalium sit diuersa à nostra sententia, oportet ut sic intelligatur, quod substantia ex se ipsa habeat talem extensionem, ad quam sequitur aptitudo expellendi alia ab eodem spatio, & quod non detur aliquod accidens distinctum realiter ab ipsa, quæ per se habet talem extensionem, & ratione cuius competit aliis rebus eam habere. Quo sensu ipsi etiam intelligendi sunt, dum absolute dicunt non dari quantitatem aliquam distinctam realiter à substantia.

Secunda sententia communissima aliorum Doctorum est extreme opposita, asserens dari quantitatem distinctam realiter à substantia, Ita Doctor in 4. dist. 12. quæst. 2. cum omnibus Scoticis, D. Thomas 3. par. quæst. 77. cum suis, quos recentiores communiter sequuntur, ut Suarez disp. 40. Met. sect. 1. & Auerſa quæst. 2. 2. Philosophia, sect. 1.

CONCLUSIO.

47. *Hæc secunda sententia vera est.* Probat Auerſa hanc conclusionem, quia bene potest concipi quantitatem esse accidens peculiare realiter distinctum à substantia, & ratio substantiæ corporeæ concipi potest per modum exigentis quantitatem, tamquam accidens realiter distinctum, sed sibi connaturale; Bene ergo, inquit, intelligi potest & debet quantitas, ut quid distinctum realiter à substantia & aliis accidentibus, Sed hæc probatio nihil concludit: neganda est enim consequentia pro secunda parte; nam quamuis posset sic concipi, non debet tamen, imo potius debet concipi per modum indistincti à substantia, nisi addit aliqua alia ratio, quia potest etiam concipi ut indistincta; & vniuersaliter non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nec est sufficiens necessitas ad distinguendam realiter quantitatem à substantia, quod possit concipi ut sic distincta.

Probatur secundo efficaciter suo iudicio experientia, quæ constat quantitates expellere se inuicem naturaliter: ergo dantur quantitates sic se expellentes. Verum hæc probatio non urget dari quantitatem distinctam realiter à substantia, nec satis notum est, ut ipse subiungit, impenetrabilitatem non competere rebus ratione substantiæ, aut si notum est, non certe ex terminis; nec ex hac, aut prior ratione quam ipse adducit, id constat.

48. *Probatur ergo aliter primo,* quia datur aliquid distinctum realiter à substantia, ratione cuius partes substantiæ sunt impenetrabiles inter se & cū aliis rebus, & etiam partes qualitarum materialium substantiæ, ut albedinis, caloris, &c. sed illud est quantitas: ergo quantitas distinguitur realiter à substantia. Minor & cōsequentia supponuntur certa ab aduersariis, qui propterea negant substantiam distingui realiter à quantitate, quia ex se ipsa haberet huiusmodi extensionem impenetrabilem. Probatur maior, quia ab eodem principio habent partes substantiæ & partes qualitarum ipsi competentium extensionem impenetrabilem: nec enim est dicendum, quod substantia habeat ex se impenetrabilitatem, & qualitates etiam à se habeant impenetrabilitatem: tum quia alias non possent esse in eodem loco substantia, & illæ qualitates; nam quæ habent diuersam impenetrabilitatem, non possent esse in eodem loco: tum etiam quia sufficeret quod vel substantia haberet ex se impenetrabilitatem vel accidentia; nec est necesse quod & substantia & qualitates habeant ex se impenetrabilitatem: ergo ab eodem habent & qualitates & substantia, cui inhærent, impenetrabilitatem: sed illud, à quo partes qualitatibus habent esse impenetrabiles, est aliquid

Quantitas
distincta
realiter
à sub-
stantia.